The Digital *Liber exceptionum* Project (https://exceptiones-project.wlu.ca)

Augustinus de doctrina christiana (fol.5vb-6vb)

1. Ipsa caritas que sibi homines inuicem nodo unitatis astrinxit. non haberet aditum refundendorum. et quasi miscendorum sibimet animorum. si homines per homines nichil discerent.

   Deinde ipsa caritas, quae sibi homines inuicem nodo unitatis adstringit, non haberet aditum refundendorum et quasi miscendorum sibimet animorum, si homines per homines nihil discerent.

   Augustinus Hipponensis, *De doctrina Christiana*, Prooem. 6 (CCSL 32, K.D. Daur & J. Martin eds., p.4, ll.98-101).

2. Nonne cum moyse deus loquebatur. et tamen consilium regendi atque administrandi tam magni populi a socero suo alienigena scilicet homine. et maxime prouidus. et minime superbus accepit. Nouerat enim ille uir. ex quacumque anima uerum consilium processisset non ei. sed illi. qui est ueritas incommutabili deo esse tribuendum.

   Nonne cum Moyse deus loquebatur et tamen consilium regendi atque administrandi tam magni populi a socero suo, alienigena scilicet homine, et maxime prouidus et minime superbus accepit? Nouerat enim ille uir, ex quacumque anima uerum consilium processisset, non ei, sed illi, qui est ueritas, incommutabili deo esse tribuendum.

   Augustinus Hipponensis, *De doctrina Christiana*, Prooem. 7 (CCSL 32, K.D. Daur & J. Martin eds., pp.4-5, ll.108-114).

3. Omnis res que dando non deficit. dum habetur et non datur. nondum habetur quomodo habenda est.

   Omnis enim res, quae dando non deficit, dum habetur et non datur, nondum habetur, quomodo habenda est.

   Augustinus Hipponensis, *De doctrina Christiana*, 1.1 (CCSL 32, K.D. Daur & J. Martin eds., p.6, ll.10-11).

4. Res alie sunt quibus fruendum est. alie quibus utendum. alie que fruuntur et utuntur. Ille quibus fruendum est nos beatos faciunt. istis quibus utendum est. tendentes ad beatitudinem adiuuamur. et quasi adminiculamur. ut ad illas que nos beatos faciunt peruenire atque hiis inherere possimus. Nos uero qui fruimur et utimur inter utrasque constituti. si eis quibus utendum est frui uoluerimus. impeditur cursus noster. et aliquando etiam deflectitur. ut ab hiis rebus quibus fruendum est obtinendis. uel retardemur. uel

etiam reuocemur. inferiorum amore prepediti. Frui enim est amore inherere alicui rei propter se ipsam. Vti autem quod in usum uenerit ad id quod amas obtinendum. referre. si tamen amandum est. Nam usus illicitus abusus potius. uel abusio nominandum est.

Res ergo aliae sunt, quibus fruendum est, aliae quibus utendum, aliae quae fruuntur et utuntur. Illae quibus fruendum est, nos beatos faciunt. Istis quibus utendum est, tendentes ad beatitudinem adiuuamur et quasi adminiculamur, ut ad illas, quae nos beatos faciunt, peruenire atque his inhaerere possimus. Nos uero, qui fruimur et utimur inter utrasque constituti, si eis, quibus utendum est, frui uoluerimus, impeditur cursus noster et aliquando etiam deflectitur, ut ab his rebus, quibus fruendum est, obtinendis uel retardemur uel etiam reuocemur inferiorum amore praepediti. Frui est enim amore inhaerere alicui rei propter se ipsam. Vti autem, quod in usum uenerit, ad id, quod amas obtinendum referre, si tamen amandum est. Nam usus inlicitus abusus potius uel abusio nominanda est.

Augustinus Hipponensis, *De doctrina Christiana*, 1.3-4 (CCSL 32, K.D. Daur & J. Martin eds., p.8, ll.1-10, 1-4).

5. Res quibus fruendum est pater et filius et spiritus sanctus. eademque trinitas. una quedam summa res est. communisque omnibus fruentibus ea.

   Res igitur, quibus fruendum est, pater et filius et spiritus sanctus eademque trinitas, una quaedam summa res communisque omnibus fruentibus ea, si tamen res et non rerum omnium causa, si tamen et causa.

   Augustinus Hipponensis, *De doctrina Christiana*, 1.5 (CCSL 32, K.D. Daur & J. Martin eds., p.9, ll.1-4).

6. In patre unitas. In filio equalitas. In spiritu sancto unitatis equalitatisque concordia. et tria hec unum. omnia propter patrem. equalia omnia propter filium. connexa omnia propter spiritum sanctum.

   In patre unitas, in filio aequalitas, in spiritu sancto unitatis aequalitatisque concordia, et tria haec unum omnia propter patrem, aequalia omnia propter filium, conexa omnia propter spiritum sanctum.

   Augustinus Hipponensis, *De doctrina Christiana*, 1.5 (CCSL 32, K.D. Daur & J. Martin eds., p.9, ll.15-18).

7. Ita cogitatur deus. ut aliquid quo nichil melius. atque sublimius ulla cogitatio conetur attingere.

Nam cum ille unus cogitatur deorum deus, ab his etiam, qui alios et suspicantur et uocant et colunt deos siue in caelo siue in terra, ita cogitatur, ut aliquid, quo nihil sit melius atque sublimius, illa cogitatio conetur attingere.

Augustinus Hipponensis, *De doctrina Christiana*, 1.7 (CCSL 32, K.D. Daur & J. Martin eds., p.10, ll.1-4).

8. Omnes certatim pro excellentia dei dimicant. nec quisquam inueniri potest. qui hoc deum non credat esse. quod est omnibus aliquid melius. Itaque omnes hoc deum esse consentiunt. quod ceteris rebus omnibus anteponunt.

   Omnes tamen certatim pro excellentia dei dimicant nec quisquam inueniri potest, qui hoc deum credat esse quo est aliquid melius. Itaque omnes hoc deum esse consentiunt, quod ceteris rebus omnibus anteponunt.

   Augustinus Hipponensis, *De doctrina Christiana*, 1.7 (CCSL 32, K.D. Daur & J. Martin eds., p.10, ll.19-22).

9. Cum illa ueritate perfruendum sit que incommutabiliter uiuit. et in ea trinitas. deus auctor et conditor uniuersitatis rebus quas condidit consulat. purgandus est animus. ut qui perspicere illam lucem ualeat. et inherere perspecte. quam purgationem quasi ambulationem quandam. et quasi nauigationem ad patriam esse arbitremur. Non enim ad eum qui ubique presens est locis mouemur. sed bono studio. bonisque moribus.

   Quapropter, cum illa ueritate perfruendum sit, quae incommutabiliter uiuit, et in ea trinitas deus, auctor et conditor uniuersitatis, rebus, quas condidit, consulat, purgandus est animus, ut et perspicere illam lucem ualeat, et inhaerere perspectae. Quam purgationem quasi ambulationem quandam et quasi nauigationem ad patriam esse arbitremur. Non enim ad eum, qui ubique praesens est, locis mouemur, sed bono studio bonisque moribus.

   Augustinus Hipponensis, *De doctrina Christiana*, 1.10 (CCSL 32, K.D. Daur & J. Martin eds., p.12, ll.1-8).

10. Sicut ille qui medetur uulneri corporis. adhibet quedam contraria. sicut frigidum calido. uel humido siccum. uel si quid aliud eiusmodi. adhibet etiam quedam similia. sicut linteolum. uel rotundo uulneri rotundum. uel oblongum oblongo. ligaturamque ipsam non eamdem menbris omnibus. sed similem similibus coaptat. sic sapiencia dei hominem curans. se ipsam exhibuit ad sanandum. ipsa medicus. ipsa medicina. Quia ergo per superbiam homo lapsus est. humilitatem adhibuit ad sanandum. serpentis sapiencia decepti sumus. dei stulticia liberamur. Quemadmodum autem illa sapiencia uocabatur. erat autem stulticia contempnentibus deum. sic ista que uocatur stulticia. sapiencia est uincentibus dyabolum. Nos inmortalitate male usi sumus ut moreremur. christus mortalitate bene usus est. ut uiueremus. corrupto animo femine ingressus est morbus. Integro femine corpore processit salus ad eadem contraria pertinet. quod etiam exemplo

uirtutum eius uicia nostra curantur. Iam uero similia. quasi ligamenta menbris et uulneribus nostris adhibita illa sunt. quod per feminam deceptos. per feminam natus. homo homines. mortalis. mortales morte mortuos liberauit.

Sicut etiam ille, qui medetur uulneri corporis, adhibet quaedam contraria sicut frigidum calido, uel humido siccum uel si quid aliud huiusmodi, adhibet etiam quaedam similia sicut linteolum uel rotundo uulneri rotundum, uel oblongum oblongo ligaturamque ipsam non eandem membris omnibus, sed similem similibus coaptat, sic sapientia dei hominem curans, se ipsam exhibuit ad sanandum, ipsa medicus, ipsa medicina. Quia ergo per superbiam homo lapsus est, humilitatem adhibuit ad sanandum. Serpentis sapientia decepti sumus, dei stultitia liberamur. Quemadmodum autem illa sapientia uocabatur, erat autem stultitia contemnentibus deum, sic ista quae uocatur stultitia, sapientia est uincentibus diabolum. Nos immortalitate male usi sumus, ut moreremur, Christus mortalitate bene usus est, ut uiueremus. Corrupto animo feminae ingressus est morbus, integro corpore feminae processit salus. Ad eadem contraria pertinet, quod etiam exemplo uirtutum eius uitia nostra curantur. Iam uero similia quasi ligamenta membris et uulneribus nostris adhibita illa sunt, quod per feminam deceptos per feminam natus, homo homines, mortalis mortales, morte mortuos liberauit.

Augustinus Hipponensis, *De doctrina Christiana*, 1.14 (CCSL 32, K.D. Daur & J. Martin eds., pp.13-14, ll.7-27).

11. Si te ipsum non propter te ipsum debes dilgere. sed propter illum ubi dilectionis tue rectissimus finis est. non succenseat alius homo. si etiam ipsum propter deum diligis.

    Si ergo te ipsum non propter te debes diligere, sed propter illum, ubi dilectionis tuae rectissimus finis est, non succenseat alius homo, si etiam ipsum propter deum diligis.

    Augustinus Hipponensis, *De doctrina Christiana*, 1.22 (CCSL 32, K.D. Daur & J. Martin eds., p.17, ll.26-28).

12. Cum quatuor sint diligenda. unum quod supra nos est. alterum. quod nos sumus. tercium. quod iuxta nos est. Quartum. quod infra nos est. De secundo et quarto nulla precepta danda erant. Quantumlibet enim homo excidat a ueritate. remanet illi dilectio sui. et dilectio corporis sui. fugax enim animus ab incommutabili lumine omnium. regnatore id agit. ut ipse sibi regnet et corpori suo. et ideo non potest. nisi se et corpus suum diligere. Magnum enim aliquid adeptum se putat. si etiam sociis aliis. idest hominbus dominari potuerit. inest enim uicioso animo id magis appetere. et sibi tanquam debitum uendicare quod uni proprie debetur deo. talis autem sui dilectio melius odium uocatur. Iniquum est enim qui uult sibi seruire quod infra se est. cum ipse superiori seruire nolit. Rectissimeque dictum est. qui autem diligit iniquitatem odit animam suam et ideo infirmus animus. et de mortali. corpore cruciatur. Necesse est enim ut illud diligat. et eius corruptione pregrauetur. Inmortalitas enim et incorruptio corporis. de sanitate animi

existit. sanitas autem animi est firmissime inherere potiori. hoc est incommutabili deo. cum uero eis qui sibi naturaliter pares sunt. hoc est hominbus dominari affectat. intolerabilis omnino superbia est.

Cum ergo quattuor sint diligenda, unum quod supra nos est, alterum quod nos sumus, tertium quod iuxta nos est, quartum quod infra nos est, de secundo et quarto nulla praecepta danda erant. Quantumlibet enim homo *excidat a ueritate*, remanet illi dilectio sui et dilectio corporis sui. Fugax enim animus ab incommutabili lumine omnium regnatore id agit, ut ipse sibi regnet et corpori suo, et ideo non potest nisi et se et corpus suum diligere. Magnum autem aliquid adeptum se putat, si etiam sociis, id est aliis hominibus, dominari potuerit. Inest enim uitioso animo id magis appetere et sibi tamquam debitum uindicare, quod uni proprie debetur deo. Talis autem sui dilectio melius odium uocatur. Iniquum est enim, quia uult sibi seruire, quod infra se est, cum ipse superiori seruire nolit, rectissimeque dictum est: *Qui autem diligit iniquitatem, odit animam suam*, et ideo fit infirmus animus et de mortali corpore cruciatur; necesse est enim, ut illud diligat et eius corruptione praegrauetur. Inmortalitas enim et incorruptio corporis de sanitate animi existit, sanitas autem animi est firmissime inhaerere potiori, hoc est incommutabili deo. Cum uero etiam eis, qui sibi naturaliter pares sunt, hoc est hominibus, dominari affectat, intolerabilis omnino superbia est.

Augustinus Hipponensis, *De doctrina Christiana*, 1.23 (CCSL 32, K.D. Daur & J. Martin eds., pp.18-19, ll.6-27). cf. 2 Tim. 2:18; Ps. 10:6

13. Id agit spiritus in domanda carne. ut soluat male consuetudinis. quasi pacta peruersa. et fiat pax consuetudenis bone.

    Id ergo agit spiritus in domanda carne, ut soluat malae consuetudinis quasi pacta peruersa et fiat pax consuetudinis bonae.

    Augustinus Hipponensis, *De doctrina Christiana*, 1.24 (CCSL 32, K.D. Daur & J. Martin eds., p.20, ll.33-35).

14. Ille iuste et sancte uiuit. qui rerum integer estimator est. Ipse est autem qui ordinatam habet dilectionem. ne aut diligat quod non est diligendum. aut non diligat quod diligendum est. aut amplius diligat quod minus diligendum est. aut eque diligat quod minus. uel amplius diligendum est aut minus uel amplius. quod eque diligendum est. omnis peccator in quantum peccator est non est diligendus. et omnis homo in quantum homo est diligendus est propter deum. deus uero propter se ipsum. et si deus omni homine amplius diligendus est. amplius quisque debet deum diligere quam se ipsum. Item amplius alius homo diligendus est quam corpus nostrum. quia propter deum. omnia ista diligenda sunt. et potest nobiscum. alius homo deo perfrui quod non potest corpus. quia corpus per animam uiuit qua perfruimur deo. homines autem omnes eque diligendi sunt. sed cum omnibus prodesse non possis. hiis potissimum consulendum est qui pro locorum

et temporum. uel quarumlibet rerum oportunitatibus constrictius tibi. quasi quadam sorte iunguntur.

Ille autem iuste et sancte uiuit, qui rerum integer aestimator est; ipse est autem, qui ordinatam habet dilectionem, ne aut diligat, quod non est diligendum, aut non diligat, quod diligendum est, aut amplius diligat, quod minus diligendum est, aut aeque diligat, quod uel minus uel amplius diligendum est, aut minus uel amplius, quod aeque diligendum est. Omnis peccator, in quantum peccator est, non est diligendus, et omnis homo, in quantum homo est, diligendus est propter deum, deus uero propter se ipsum. Et si deus omni homine amplius diligendus est, amplius quisque deum debet diligere quam se ipsum. Item amplius alius homo diligendus est quam corpus nostrum, quia propter deum omnia ista diligenda sunt, et potest nobiscum alius homo deo perfrui, quod non potest corpus, quia corpus per animam uiuit, qua fruimur deo. Omnes autem aeque diligendi sunt, sed cum omnibus prodesse non possis, his potissimum consulendum est, qui pro locorum et temporum uel quarumlibet rerum opportunitatibus constrictius tibi quasi quadam sorte iunguntur.

Augustinus Hipponensis, *De doctrina Christiana*, 1.27-28 (CCSL 32, K.D. Daur & J. Martin eds., p.22, ll.1-15, 1-4).

15. Quantum deo in hac uita fruimur. uel per speculum uel per enigmata. tanto eam peregrinationem et tolerabilius sustinemus. et ardentius finire cupimus.

    Illo enim fruentes etiam ipsi beati sunt, quo et nos frui desideramus, et quantum in hac uita fruimur uel *per speculum* uel *in aenigmate*, tanto eam peregrinationem et tolerabilius sustinemus et ardentius finire cupimus.

    Augustinus Hipponensis, *De doctrina Christiana*, 1.30 (CCSL 32, K.D. Daur & J. Martin eds., pp.23-4, ll.2-5). cf. 1 Cor. 13:12

16. Cum homine in deo frueris. deo potius quam homine frueris. illo enim frueris quo efficeris beatus. et ad eum te peruenisse letaris. in quo spem ponis ut uenias.

    Cum autem homine in deo frueris, deo potius quam homine frueris, illo enim frueris, quo efficeris beatus, et ad eum te peruenisse laetaberis, in quo spem ponis, ut uenias.

    Augustinus Hipponensis, *De doctrina Christiana*, 1.33 (CCSL 32, K.D. Daur & J. Martin eds., p.27, ll.15-17).

17. Cum adest quod diligitur. etiam delectationem secum necesse est gerat. per quam si transieris. eamque ad illud ubi permanendum est retuleris. uteris ea. et abusiue non proprie diceris frui. Si uero inheseris atque permanseris finem in ea ponens letitie tue.

tunc uere et proprie frui dicendus est. quod non faciendum est nisi in illa trinitate id est summo et incommutabili bono.

Cum enim adest, quod diligitur, etiam delectationem secum necesse est gerat, per quam si transieris eamque ad illud ubi permanendum est rettuleris, uteris ea et abusiue, non proprie diceris frui. Si uero inhaeseris atque permanseris, finem in ea ponens laetitiae tuae, tunc uere et proprie frui dicendus es; quod non faciendum est nisi in illa trinitate, id est summo et incommutabili bono.

Augustinus Hipponensis, *De doctrina Christiana*, 1.33 (CCSL 32, K.D. Daur & J. Martin eds., p.27, ll.21-27).

18. Ego sum uia ueritas et uita. Hoc est per me uenitur. ad me uenitur. in me permanetur.

    Sic enim ait: *Ego sum uia et veritas et vita*, hoc est "per me uenitur, ad me peruenitur, in me permanetur."

    Augustinus Hipponensis, *De doctrina Christiana*, 1.34 (CCSL 32, K.D. Daur & J. Martin eds., p.28, ll.15-16). cf. Ioh. 14:6

19. Quisquis scripturas diuinas. uel quamlibet earum partem. intellexisse sibi uidetur. ita ut eo intellectu non edificet istam geminam caritatem dei. et proximi. nondum intellexit. quisquis uero talem inde sententiam dixerit ut huic edificande caritati sit utilis. nec tamen hoc dixerit. quod ille quem legit eo loco sensisse probatur. non pernitiose fallitur. nec omnino mentitur. Inest quippe in menciente uoluntas falsa dicendi. et ideo multos inuenimus. qui mentiri uelint. qui autem falli neminem.

    Quisquis igitur scripturas diuinas uel quamlibet earum partem intellexisse sibi uidetur, ita ut eo intellectu non aedificet istam geminam caritatem dei et proximi, nondum intellexit. Quisquis uero talem inde sententiam duxerit, ut huic aedificandae caritati sit utilis, nec tamen hoc dixerit, quod ille quem legit eo loco sensisse probabitur, non perniciose fallitur nec omnino mentitur. Inest quippe in mentiente uoluntas falsa dicendi et ideo multos inuenimus, qui mentiri uelint, qui autem falli, neminem.

    Augustinus Hipponensis, *De doctrina Christiana*, 1.36 (CCSL 32, K.D. Daur & J. Martin eds., p.29, ll.1-9).

20. Inter temporalia atque eterna. hoc interest. quod temporale aliquid plus diligitur antequam habeatur. uilescit autem cum aduenerit. Non enim saciat animam cui uera est. et certa sedes eternitas. eternum autem ardentius diligitur adeptum. quam desideratum. Nulli enim desideranti conceditur plus de illo existimare. quam se habet. ut ei uilescat cum minus inuenerit. sed quantum quisque ueniens existimare potuerit. plus perueniens inuenturus est.

Inter temporalia quippe atque aeterna hoc interest, quod temporale aliquid plus diligitur, antequam habeatur, uilescit autem, cum aduenerit; non enim satiat animam, cui uera est et certa sedes aeternitas: aeternum autem ardentius diligitur adeptum quam desideratum. Nulli enim desideranti conceditur plus de illo existimare, quam se habet, ut ei uilescat, cum minus inuenerit, sed quantum quisque ueniens existimare potuerit, plus perueniens inuenturus est.

Augustinus Hipponensis, *De doctrina Christiana*, 1.38 (CCSL 32, K.D. Daur & J. Martin eds., p.31, ll.6-14).

21. Signum est res preter speciem quam ingerit sensibus aliquid aliud ex se faciens in cogitationem uenire.

    Signum est enim res praeter speciem, quam ingerit sensibus, aliud aliquid ex se faciens in cogitationem uenire, sicut uestigio uiso transisse animal, cuius uestigium est, cogitamus et fumo uiso ignem subesse cognoscimus et uoce animantis audita affectionem animi eius aduertimus et tuba sonante milites uel progredi se uel regredi et, si quid aliud pugna postulat, oportere nouerunt.

    Augustinus Hipponensis, *De doctrina Christiana*, 2.1 (CCSL 32, K.D. Daur & J. Martin eds., p.32, ll.5-11).

22. Erit diuinarum scripturarum sollertissimus indagator. qui primo totas legerit. notasque habuerit. et si nondum intellectu. iam tamen lectione dumtaxat eas que appellantur canonice. Nam ceteras securius leget. fide ueritatis instructus. ne preoccupent imbecillum animum. et periculosis mendaciis. atque fantasmatibus eludentes. preiudicent aliquid contra sanam intelligentiam.

    Erit igitur diuinarum scripturarum solertissimus indagator, qui primo totas legerit notasque habuerit, et si nondum intellectu, iam tamen lectione, dumtaxat eas, quae appellantur canonicae. Nam ceteras securius leget fide ueritatis instructus, ne praeoccupent inbecillum animum et periculosis mendaciis atque phantasmatibus eludentes praeiudicent aliquid contra sanam intelligentiam.

    Augustinus Hipponensis, *De doctrina Christiana*, 2.8 (CCSL 32, K.D. Daur & J. Martin eds., pp.38-9, ll.3-9).

23. Facta quadam familiaritate. cum ipsa lingua diuinarum scripturarum. in ea que obscura sunt aperienda. et discutienda pergendum est. ut ad obscuriores loquutiones illustrandas de manifestioribus sumantur exempla.

    Tum uero facta quadam familiaritate cum ipsa lingua diuinarum scripturarum in ea, quae obscura sunt, aperienda et discutienda pergendum est, ut ad obscuriores locutiones

illustrandas de manifestioribus sumantur exempla et quaedam certarum sententiarum testimonia dubitationem incertis auferant.

Augustinus Hipponensis, *De doctrina Christiana*, 2.9 (CCSL 32, K.D. Daur & J. Martin eds., p.41, ll.11-16).

24. Codicibus emendandis primitus debet inuigilare sollercia eorum. qui scripturas diuinas nosse desiderant.

    Tantum absit falsitas; nam codicibus emendandis primitus debet inuigilare solertia eorum, qui scripturas diuinas nosse desiderant, ut emendatis non emendati cedant ex uno dumtaxat interpretationis genere uenientes.

    Augustinus Hipponensis, *De doctrina Christiana*, 2.14 (CCSL 32, K.D. Daur & J. Martin eds., p.47, ll.21-25).

25. Disputatonis disciplina. ad omnia genera questionum. que in litteris sanctis sunt penetranda. atque dissoluenda plurimum ualet. tantum ibi cauenda est libido rixandi. et puerilis quedam ostentatio decipiendi aduersarium.

    Sed disputationis disciplina ad omnia genera quaestionum, quae in litteris sanctis sunt, penetranda et dissoluenda, plurimum ualet; tantum ibi cauenda est libido rixandi et puerilis quaedam ostentatio decipiendi aduersarium.

    Augustinus Hipponensis, *De doctrina Christiana*, 2.31 (CCSL 32, K.D. Daur & J. Martin eds., pp.65-6, ll.3-7).

26. Philosophi qui uocantur. si qua forte uera. et fidei nostre accommoda dixerunt. maxime platonici non solum formidanda non sunt. sed ab eis tamquam a possessoribus iniustis in usum nostrum uendicanda.

    Philosophi autem qui uocantur si qua forte uera et fidei nostrae accommodata dixerunt, maxime Platonici, non solum formidanda non sunt, sed ab eis etiam tanquam ab iniustis possessoribus in usum nostrum uindicanda.

    Augustinus Hipponensis, *De doctrina Christiana*, 2.40 (CCSL 32, K.D. Daur & J. Martin eds., p.73, ll.1-4).

27. Plerumque loquendi consuetudo uulgaris utilior est significandis rebus. quam integritas litterata. mallem quippe cum barbarismo dici. non est absconditum a te ossum meum. quam ut ideo esset minus apertum. quia magis latinum est.

Vnde plerumque loquendi consuetudo uulgaris utilior est significandis rebus quam integritas litterata. Mallem quippe cum barbarismo dici: *Non est absconditum a te* ossum *meum*, quam ut ideo esset minus apertum, quia magis latinum est.

Augustinus Hipponensis, *De doctrina Christiana*, 3.3 (CCSL 32, K.D. Daur & J. Martin eds., p.81, ll.43-47). cf. Ps. 138:15

28. Caritatem uoco motum animi ad fruendum deo propter ipsum. et se atque proximo propter deum. cupiditatem autem motum animi. ad fruendum se et proximo et quolibet corpore. non propter deum. Quod autem agit indomita cupiditas ad corrupendum animum. et corpus suum. flagitium uocatur. quod autem agit. ut alteri noceat facinus dicitur.

   Caritatem uoco motum animi ad fruendum deo propter ipsum et se atque proximo propter deum; cupiditatem autem motum animi ad fruendum se et proximo et quolibet corpore non propter deum. Quod autem agit indomita cupiditas ad corrumpendum animum et corpus suum, flagitium uocatur; quod autem agit, ut alteri noceat, facinus dicitur.

   Augustinus Hipponensis, *De doctrina Christiana*, 3.10 (CCSL 32, K.D. Daur & J. Martin eds., p.87, ll.32-38).

29. Quisquis rebus pretereuntibus restrictius utitur. quam sese habent mores eorum cum quibus uiuit. aut intemperans aut supersticiosus est. quisquis uero sic eis utitur. ut metas consuetudinis bonorum inter quos uersatur. excedat. aut aliquid significat. aut flagitiosus est. In omnibus enim talibus. non usus rerum. sed libido utentis in culpa est. Quid locis et temporibus. personis ue conueniat diligenter attendendum est. ne temere flagitia reprehendamus. fieri enim potest ut sine aliquo uicio cupiditatis uel uoracitatis preciosissmo cibo sapiens utatur. Insipiens autem fetidissima gule flamma molus uilissimum inardescat. et sanus quisque maluerit more domini pisce uesci. quam lenticula more esau nepotis abraham. aut ordeo more iumentorum.

   Quisquis autem rebus praetereuntibus restrictius utitur, quam sese habent mores eorum, cum quibus uiuit, aut temperans aut superstitiosus est; quisquis uero sic eis utitur, ut metas consuetudinis bonorum, inter quos uersatur, excedat, aut aliquid significat aut flagitiosus est. In omnibus enim talibus non usus rerum, sed libido utentis in culpa est.

   Augustinus Hipponensis, *De doctrina Christiana*, 3.12 (CCSL 32, K.D. Daur & J. Martin eds., p.89, ll.5-10).

   Quid igitur locis et tempori et personis conueniat, diligenter attendendum est, ne temere flagitia reprehendamus. Fieri enim potest, ut sine aliquo uitio cupediae uel uoracitatis pretiosissimo cibo sapiens utatur, insipiens autem foedissima gulae flamma in uilissimum

ardescat. Et sanus quisque maluerit more domini pisce uesci quam lenticula more Esau nepotis Abraham aut hordeo more iumentorum.

Augustinus Hipponensis, *De doctrina Christiana*, 3.12 (CCSL 32, K.D. Daur & J. Martin eds., p.89, ll.21-28).

30. Non est in carendo difficultas. nisi cum est in habendo cupiditas.

Itaque si eos in hac uita inuenisset domini aduentus, cum iam non mittendi, sed *conligendi lapides tempus* esset, statim se ipsos castrarent propter regnum caelorum; non enim est in carendo difficultas, nisi cum est in habendo cupiditas.

Augustinus Hipponensis, *De doctrina Christiana*, 3.18 (CCSL 32, K.D. Daur & J. Martin eds., p.94, ll.22-26). cf. Eccl. 3:5

31. Cauendum est ne fugiant ex animo que dicenda sunt. cum attenditur ut arte dicantur.

Cauendum est enim, ne fugiant ex animo, quae dicenda sunt, dum adtenditur, ut arte dicantur.

Augustinus Hipponensis, *De doctrina Christiana*, 4.3 (CCSL 32, K.D. Daur & J. Martin eds., p.118, ll.33-34).

32. Qui eloquenter. dicunt suauiter. Qui sapienter, salubriter audiuntur. propter quod non ait scriptura multitudo eloquentium. sed multitudo sapientium. sanitas est orbis terrarum. Sicut autem sepe sumenda sunt. et amara salubria. ita semper uitanda est perniciosa dulcedo.

Qui enim eloquenter dicunt, suauiter, qui sapienter, salubriter audiuntur. Propter quod non ait scriptura: Multitudo eloquentium, sed: *Multitudo sapientium sanitas est orbis terrarum*. Sicut autem saepe sumenda sunt et amara salubria, ita semper uitanda est perniciosa dulcedo.

Augustinus Hipponensis, *De doctrina Christiana*, 4.5 (CCSL 32, K.D. Daur & J. Martin eds., p.121, ll.40-44). cf. Sap. 6:26

33. Sicut gratus est qui cognoscenda enubilat. sic honerosus. qui cognita inculcat.

Sicut enim gratus est qui cognoscenda enubilat, sic onerosus, qui cognita inculcat, eis dumtaxat, quorum tota exspectatio in dissoluenda eorum, quae panduntur, difficultate pendebat.

Augustinus Hipponensis, *De doctrina Christiana*, 4.10 (CCSL 32, K.D. Daur & J. Martin eds., p.134, ll.40-43).

34. Bonorum ingeniorum insignis est indoles. in uerbis uerum amare non uerba. quid enim prodest clauis aurea. si aperire quod uolumus non potest. aut quid obest lignea. si hoc potest. quando nichil querimus nisi patere quod clausum est.

    Quod cum adepti fuerint, ipsa delectabiliter ueritate pascuntur bonorumque ingeniorum insignis est indoles, in uerbis uerum amare, non uerba. Quid enim prodest clauis aurea, si aperire, quod uolumus, non potest, aut quid obest lignea, si hoc potest, quando nihil quaerimus nisi patere, quod clausum est?

    Augustinus Hipponensis, *De doctrina Christiana*, 4.11 (CCSL 32, K.D. Daur & J. Martin eds., pp.134-5, ll.6-11).

35. Dixit quidam eloquens et uerum dixit. ita dicere debere eloquentem. ut doceat. ut delectet. ut flectat. deinde addidit. docere necessitatis est. delectare suauitatis. flectere uictorie.

    Dixit ergo quidam eloquens, et uerum dixit, ita dicere debere eloquentem, *ut doceat, ut delectet, ut flectat*. Deinde addidit: *Docere necessitatis est, delectare suauitatis, flectere uictoriae*.

    Augustinus Hipponensis, *De doctrina Christiana*, 4.12 (CCSL 32, K.D. Daur & J. Martin eds., p.135, ll.1-4). cf. Cic. *Orator* 21.69

36. Sicut est ut teneatur ad audiendum delectandus auditor. ita flectendus. ut moueatur ad agendum. et sicut delectatur si suauiter loqueris. ita flectitur si amet quod polliceris. timeat quod minaris. oderit quod arguis. quod commendas amplectatur. quod dolendum exaggeras. doleat cum quid letandum predicas. gaudeat. misereatur eorum. quos miserandos ante oculos dicendo constituis. fugiat eos quos cauendos. terrendo proponis.

    Sicut est autem, ut teneatur ad audiendum, delectandus auditor; ita flectendus, ut moueatur ad agendum. Et sicut delectatur, si suauiter loqueris ita flectitur, si amet, quod polliceris, timeat, quod minaris, oderit, quod arguis, quod commendas, amplectatur, quod dolendum exaggeras, doleat; cum quid laetandum praedicas, gaudeat, misereatur eorum, quos miserandos ante oculos dicendo constituis, fugiat eos, quos cauendos terrendo proponis; et quidquid aliud grandi eloquentia fieri potest ad commouendos animos auditorum, non quid agendum sit, ut sciant, sed ut agant quod agendum esse iam sciunt.

    Augustinus Hipponensis, *De doctrina Christiana*, 4.12 (CCSL 32, K.D. Daur & J. Martin eds., p.135, ll.13-23).

37. Oportet eloquentem ecclesiasticum. quando suadet aliquid quod agendum est. non solum docere ut instruat. et delectare ut teneat. uerum etiam flectere ut uincat.

    Oportet igitur eloquentem ecclesiasticum, quando suadet aliquid, quod agendum est, non solum docere, ut instruat, et delectare, ut teneat, uerum etiam flectere, ut uincat.

    Augustinus Hipponensis, *De doctrina Christiana*, 4.13 (CCSL 32, K.D. Daur & J. Martin eds., pp.136-7, ll.14-17).

38. Agit eloquens cum iusta. et sancta. et bona dicit. neque enim alia debet dicere. agit ergo quantum potest. cum ista dicit. ut intelligenter. ut libenter. ut obedienter audiatur.

    Agit itaque noster iste eloquens, cum iusta et bona et sancta dicit; neque enim alia debet dicere; agit ergo quantum potest cum ista dicit, ut intelligenter, ut libenter, ut oboedienter audiatur; et haec se posse, si potuerit et in quantum potuerit, pietate magis orationum quam oratorum facultate non dubitet, ut orando pro se ac pro illis, quos est allocuturus, sit orator antequam dictor.

    Augustinus Hipponensis, *De doctrina Christiana*, 4.15 (CCSL 32, K.D. Daur & J. Martin eds., p.138, ll.1-7).

39. Modicis modus nomen imposuit. Nam modica pro paruis abusiue non proprie dicimus.

    Modicis enim modus nomen imposuit; nam modica pro paruis abusiue, non proprie dicimus.

    Augustinus Hipponensis, *De doctrina Christiana*, 4.18 (CCSL 32, K.D. Daur & J. Martin eds., pp.141-2, ll.9-11).

40. Cauendum est ne diuinus grauibusque sententiis. dum additur numerus pondus detrahatur.

    Sed cauendum est, ne diuinis grauibusque sententiis, dum additur numerus, pondus detrahatur.

    Augustinus Hipponensis, *De doctrina Christiana*, 4.20 (CCSL 32, K.D. Daur & J. Martin eds., p.148, ll.99-100).

41. Commotio animi. quanto magis excitanda est. ut nobis assentiat auditor. tanto minus in ea diu teneri potest. cum fuerit. quantum satis est excitata. et ideo cauendum est. ne dum uolumus altius erigere quod erectum est. etiam inde decidat. quo fuerat excitatione perductum.

    Commotio quippe animi quanto magis excitanda est, ut nobis adsentiatur auditor, tanto minus in ea diu teneri potest, cum fuerit quantum satis est excitata. Et ideo cauendum est, ne dum uolumus altius erigere, quod erectum est, etiam inde decidat, quo fuerat excitatione perductum.

    Augustinus Hipponensis, *De doctrina Christiana*, 4.22 (CCSL 32, K.D. Daur & J. Martin eds., p.158, ll.10-14).

42. Super cathedrum moysi. et cetera. Illa cathedra non eorum. sed moysi cogebat eos bona dicere etiam non bona facientes. agebant ergo sua in uita sua. docere autem sua cathedra illos non permittebat aliena. multis itaque prosunt dicendo que non faciunt. sed longe pluribus prodessent faciendo. que dicunt habundant enim qui male uite sue defensionem ex ipsis suis prepositis et doctoribus querant. Respondentes corde suo. aut etiam si ad hoc erumpunt. ore suo atque dicentes. quod michi precipis. cur ipse non facis. Ita fit ut eum non obedienter audiant qui se ipse non audit. et dei uerbum quod eis uerum predicatur. simul cum ipso predicatore contempnant.

    Propter quod ipse dominus, priusquam de talibus, quod commemoraii diceret, praemisit: *Cathedram Moysi sedent*. Illa ergo cathedra, non eorum, sed Moysi, cogebat eos bona dicere, etiam non bona facientes. Agebant ergo sua in uita sua, docere autem sua cathedra illos non permittebat aliena. Multis itaque prosunt dicendo, quae non faciunt, sed longe pluribus prodessent faciendo, quae dicunt. Abundant enim, qui malae uitae suae defensionem ex ipsis suis praepositis et doctoribus quaerant, respondentes corde suo, aut etiam si ad hoc erumpunt, ore suo atque dicentes: Quod mihi praecipis, cur ipse non facis? Ita fit, ut eum non oboedienter audiant, qui se ipse non audit, et dei uerbum, quod eis praedicatur, simul cum ipso praedicatore contemnant.

    Augustinus Hipponensis, *De doctrina Christiana*, 4.27 (CCSL 32, K.D. Daur & J. Martin eds., pp.163-4, ll.16-29). cf. Matth. 23:2

43. Uerbum dei non est ab eis alienum qui obtemperant ei. pociusque ille dicit aliena. qui cum dicat bene. uiuit male. quecumque enim bona dicit. eius excogitari uidentur ingenio. sed ab eius moribus aliena sunt. Eos itaque dixit deus furari uerba sua. qui boni uolunt uideri. loquendo que dei sunt. cum mali sint faciendo que sua sunt.

    Qui enim furantur, alienum auferunt, uerbum autem dei non est ab eis alienum, qui obtemperant ei, potiusque ille dicit aliena, qui cum dicat bene, uiuit male. Quaecumque enim bona dicit, eius excogitari uidentur ingenio, sed ab eius moribus aliena sunt. Eos

itaque dixit deus furari uerba sua, qui boni uolunt uideri, loquendo quae dei sunt, cum mali sint, faciendo quae sua sunt.

Augustinus Hipponensis, *De doctrina Christiana*, 4.29 (CCSL 32, K.D. Daur & J. Martin eds., p.166, ll.13-19).